ORATIO FVNEBRIS IN HONOREM *HENRICI* Excellentissimi VValliæ Principis *propriam atque intimam eius* effigiem præferens, bonisque omnibus & Domesticis, & exteris, honoris ergò

Dicata Authore LEONELLO SHARPO *sacræ Theologiæ Doctore.*

LONDINI,
Excudebat *Guilielmus Hall*,
1612.

LONDINI,
Excudebat Guilielmus Hall.
1612.

AD DOCTISSIMVM & eloquentiſsimum Theologum D.D. LEONELLVM SHARPE: in eiuſdem opera quæ inſcribuntur Nouum Symbolum, & Effigies PRINCIPIS.

HOſtis perfidiam nuper, nunc Symbola Sancti
Principis artifices exhibuere manus.
Dilecto LEONELLE *tibi dilectus, in aſtris*
Viuus, & in terris ſic redimitus erit.

Idem in Obitum Illuſtriſsimi, deſideratiſsimique PRINCIPIS.

HEnricus obijt: luget ereptum Ducem
In Flore virtus: Principem Britannia:
Religio vindicem: arbitrum Innocentia:
Fides Patronum: Inopia Aſylum: omnes Patrem.

Chriſtus non deſeret.

GVILIELMVS SALTER.
Templ.

ANDREAS SHARPVS in Artibus Magiſter de Archubus *London*, Procurator genetalis, de obitu *Henrici* Excellentiſſimi Principis VVALLIAE.

ABſtulit atra dies, patriæ populoque patronum,
Marti delicias, Mercuriique decus,
Gloriolam Mundo, Regi ſolamen, amorem
Muſis, terrorem Pontificique ſuum.
Et Chamus & Thameſis, poſitæq; in vtriſque Camenæ
Hinc diſcant mœſtos ingemmare ſonos;
Sed neque iam diſcant, quoniam pars optima cœlo,
Henrici *remanet, pars quoque magna ſolo.*

Guilielmus Sharpus ſacræ Theologiæ Bacchalaureus ad Angliam, de obitu Principis.

SI qualis fuerit Princeps tibi gemma fruendo,
Anglia non poteras ſcire, carendo ſcies,
Si breuius leuiuſque malum tibi paſſa videris,
Longius & grauius ne patiare caue.

In

In Rami casu si tantus mœror & horror,
Stirpis, radicis quantus interitus?
Desine nunc igitur vanos effundere fletus
Fortibus & sapiens vtere consilijs,
Post Regem Stirpis seruandæ sit tibi cura
Prima, propagandæ cura secunda, precor,
Hæc fido promit de pectore rustica Musa,
Vrbanæ Musæ dant meliora, scio.

Eduardus Sharpus sacræ Theologiæ Bacchalaureus ad fratrem Leonellum de Principis effigie Poetico, Oratorioque ducta penicillo.

OFficium fecere & non fecere poetæ,
Oratorque suum misit, omisit opus,
Musa nihil finxit, nihil auxit suada, sed ambæ
Henrico *laudes attribuere suas.*
Et quasi consultò Methodum seruasse videntur.
Dilecto soluunt dum sua iusta duci:
Virtutes etenim generatim Musa recenset,
Actaque virtutum singula suada refert.
Verè Musa canit fortem, iustumque piumque,
Sed fortem, iustum, suada piumque probat,
Hinc tu communes, frater proprioſque dolores
Solari Domino subueniente potes.
Quod dum communes oris mentisque figuras
Duxerunt aliæ non sine laude manus:
Vt propiùs noti proprijs, nisi fallor amore
Principis effigies est tibi ducta notis.

ORATIO FVNEBRIS

in honorem HENRICI, Excellentissimi *Walliæ Principis propriam* atque intimam eius effigiem præferens, *bonisque omnibus & Domesticis* & exteris, honoris ergo, Dicata Authore LEONELLO SHARPO *Sacræ Theologiæ Doctore.*

QVonam fato nostro, Optimi viri, fieri dicam, vt quod tempus Nuptijs triumphisque celebrandis destinatum est, id totũ daretur exequijs & funeribus instruendis: Non funeri dico, sed funeribus, eó quód vnius obitu tot bonorum Ciuium Myriades obijsse, vniusque funere tota *Magna Britannia* elata quodammodo videri possit. Nam ille præstans ingenij vigor, illa iudicij maturitas, illa animi virtus, ille oris & corporis decor & maiestas, illa suauitate condita, vel in iuuene auctoritas, illa magnanimitas, illa pietas *Henrici* præclarissimi *Walliæ* Prin-

cipis

cipis fato ſublata ſubito ſextũ Nouembris Quintõ triſtiorem *Magnæ Britanniæ* fecit: ſiquidem Quintus Nouembris perniciem nobis omnibus intendit, Sextus in vno omnibus intulit. Angebar equidem, Negare non poſſum, priuato meo vulnere, cum amiſſo Principe ſpes meas omnes penitus afflictas atque euerſas viderem. Sed multo magis morte talis & tanti Domini, tot ſeruorum fideliſſimorum fortunas planè perditas, & deploratas dolebam. Exacerbauit omnium Noſtrum dolorem, Dolor fratris *Caroli*, fletus Sororis *Elizabethæ*, luctus parentum, quòd tantum vitæ ſuæ tamque dulce ſolatium, decus, præſidium prorſus amiſerint. Præcipuè verò mœror ſereniſsimi Regis, atque optimi patris bonorum omnium animos effodit, quod eum, quamuis alijs eximijs munimentis innixum, tamen hoc tàm maturo honore, præſentique imperij munimento ſpoliatum atque orbatum viderent. Augebat etiam dolorem, quòd in tanta improborum hominum copia, quos illo vultu, illa fronte, illo oculo ſuo compeſcuit Princeps egregius alieniſſimo Eccleſiæ, Reipublicæ tempore defunctus acerbum virique authoritatis ſuæ deſiderium reliquerat: quæ talem Principem, in tanta principum penuria talium, terris tantum oſtenſum, etiam tum cum ad res gerendas adoleuerat, ſibi ademptum ægrè ferunt, in quo certè religio & iuſtitia aduerſus idololatriam & iniuſtitiam tutiſſimum ſanè portum ac perfugium expectare potuiſſent. Vultis igitur optimi viri, propriam eius effigiem apud

vos

vos manere, Non alienis ductam & communibus lineamentis, ſed proprijs & ſuis? vultis ſcio, quia ipſum amaſtis, Notum igitur vobis habitum egregij corporis & mentis, vt exteri & poſteri etiam noſcant.

Viua effigies Henrici Principis.

Statura media & recta, decentior quàm ſublimior. Facies oblonga, ſumma viuacium oculorum gratia, quibus in tranſitu ſuis ſæpe, etiam cum taceret, loquebatur. Vultus placidus maieſtate mixtus: qui principem neſciret, magnum virum facile crederet, qui ſciret, bonum ſentiret. Anni pœne Nouendecim, iuuentæ flos. Prima lanugo. Arma placuerunt magis, quam literæ, quæ tamen vt Principi ſatis notæ. Mens quám lingua promptior, non Rhetorica vbertas, ſed regia breuitas, ſalibus aſperſa. Memoria magna; animus maior quantæcunque fortunæ capax, ingentibus negotijs par futurus. Ita ſi ſpeciem noſces, Curiæ, ſi animum, caſtris factum diceres. Seueritas aliqua quæ tamen amorem non minueret, facilitas inſita, quæ tamen authoritatem retineret. In hoc tam fraudulento ſæculo tecta diffidentia, dum hominem noſſet: cum noſſet, cauta fiducia. Ita nec temere credulus falſum facile admiſit, & prudenter fidens, verum raro reiecit, quod ſeorſim á multis non ex compoſito traditum acceperat. Veritatis amans miniſtram aulicorum auaritiæ calumniam odit: quos fidos & bonos eſt expertus ijs aures dedit, vt verum ſine fuco intelligere poſſet ab ijs, qui verum ei poterant ſine periculo dicere, eo quod vnus omnium optim

timè ſibi commiſſa celare & ſecreta premere didiciſſet: diſſidia inter ſeruos, vt multi, non alebat, ſed orta iam modo ciuilia, Non ſtatim extinguebat, ad ſuumque bonum ſapienter conuertebat: cruenta verò diſſidia confeſtim authoritate ſua tollebat; ne in cuiuſquam pernicem erumperēt: in gratia conſtans, promiſsionis retinens, offenſionis ad tempus tenax: Neſcires vtrum cuperes amicum, an timeres inimicum, raro tamen iracundus, quo Magis eum ſui reuerebantur. Nec irritabilis, nec implacabilis. Nec tamen cito reconciliabatur, vt nec cito iraſcebatur tardior, vt ad accipiendam, ſic ad deponendam offenſionem, vt dixi: quam tamen humilis & vera ſubmiſſio tandem non modo mitigauit, ſed etiam ſuſtulit. Ex iracundia nihil ſupererat, ſecretum & ſilentium eius non timeres. Grauis erat ſine ſuperbia, comis ſine ambitione, hylaris ſine leuitate, liberalis ſine profuſione, vt *Henrico* ſeptimo ſimilis eſſet, vel potius *Eliſabethæ* Reginæ, quam in multis ſibi propoſuit imitandam. Adeo *Clemens* Principis iuſtitia fuit, cuius virtutis familiam ſuam, quam regere Multis æque arduum ac prouinciam, teſtem reliquit: in qua tyrocinium Regni futuri adminiſtrandi ſibi ponendum putauit. Dominus vt ſui, ſic ſuorum. Hoſtis ſuperbiæ & iniuriæ. Neminem in familia ſua manere voluit, qui ſecum ad verbum audiendum, ad preces ad communionem venire recuſaret, vt ex mandatis, publicis, quæ ſua manu conſignauit, conſtare poteſt. Huius Clementis piæq; iuſtitiæ cuſtos illa animi magni-

magnitudo, qua magnos æq; ac paruos in officio continuit. Didiciſſe enim ſe dicbat ex *Henrico* quarto populum Anglicanũ equi generoſi ſimilem eſſe, quem neq; nimis adducta, neq; nimis remiſſa habena regas, amore & timore moderandum. Itaq; regis illius filiũ potius quã nepotem æmulabatur. Iam caſtiſsimi patris puberem filiũ tam integris moribus, tamque laudabiliter acta adoleſcentia continentem fuiſſe qui dubitent, ex ſua præcoci libidine Principem æſtimant. Harum certe regalium animæ virtutum fuit illa infucata pietas, quam ex pijs doctiſque patris ſapientiſsimi ſcriptis animo penitus imbiberat; non oratione aut verbis oſtentarat. Nam vt alij vitia, ſic ille virtutes ſuas diſsimulabat, Celareque excellentiam, quantum poterat, laborabat, pauci vt eam nec niſi per tranſennam aſpicerent, pietas autem illa, quam abſtruſerat, interdum neceſſario eminebat, erat enim Principi familiare & ſolenne vt diem priuatis precibus aperiret, veſperam clauderet: Biſque in die ferè publicis intereſſet prius, quam vel ad prandium vel ad cænam accederet. Illud ſolatio ſuo dabat, hoc vero etiam exemplo, quo ſeruos ſuos ad Deum ſuum quotidie Colendum incitaret à precibus progreſſus ad exercitia, ab exercitijs ad ſtudia, à ſtudijs, ad ludos, à ludis, ad ſermones familiares, à ſermonibus ad preces reuerſus eſt: Sic dies à Deo incipiebat, & in Deo deſinebat. Pietatem animi frequens auditio verbi, quam nunquam dum valeret, omiſit, Maxime innutriuit, in qua patris exemplum ſequutus eſt. Pietates effectus duo manifeſti quòd pios amauit

uit maximé,& vanis iuramentis abſtinuit, quod cum quidam in eo, quaſi vitium in Principe, leuiter vellicarent, reſponſum tulerunt, quod dignum eſt aureis inſcribi Characteribus, *Nullum ſibi ludum vnquam viſum eſſe tanti, quanti iuramentum*. Papiſtas quoſdam ingenuos, patriæque amantes humaniter, & comiter excepit, ſed veræ Religionis honeſtos profeſſores ſine vlla opinionum factione chariſſimos habuit. Quam religioſam ſané prudentiam *Baſilicon Doron* in Principe ab incunte pueritia informauit, vt qualem tanto doctore *Henricum* Principem fuiſſe vidimus, talem; cum ematuruerit, *Carolum* principem futurum confidamus. Interea *Henricum* micantem ſtellam, lucidumque ſydus, & ortum in orbe noſtro fuiſſe gauiſi ſumus, & nunc occidiſſe mæremus. Nunquam autem ille vel talis, vel tantus ſine patris præceptis, & honoribus tam citò extitiſſet. Nam ſi quis Principem *Henricum* aliud vllum habuiſſe lumen putet, quàm quod à Rege tanquam à Sole receperit, ad Regemque retulerit, næ ille & humilitatem filij, & magnitudinem patris ignorat; næ ille parum conſiderat tantæ molis capacem vnam tantummodo mentem à Deo *Magnæ Britanniæ* datam, quæ totum corpus & imperio regere, & conſilio dirigere, & fortitudine tueri ac conſeruare poſſet. Laudatur *Henricus* vt bonus auditor paternæ ſapientiæ, & fidus ſané Miniſter potentiæ: ad cuius intimã excellentiam ſine beneficio, aut adulatione prodendam, quis enim vtiliter aduletur Principi

mortuo

mortuo? ſed certa ſcientia, bonaque conſcientia ductus non peterem veniam, niſi vererer inimica tantis virtutibus tempora, quæ vitioſos melius, quam bonos Principes ferre poſſunt. Pietas in Deum officia produxit in homines. Nullus vnquam filius patri obſequentior, nullus vnquam matris reuerentior, nullus vnquam frater fratris & ſororis amantior, nullus vnquam Dominus ſeruos habuit chariores, quos ſui ſimiles efficere cupiebat, & propemodum effecit. Habuit enim quandam authoritatem in ſuos. Vnde in illius aula verum fuit quod ſcripſit *Martialis*.

Nemo ſuos, hæc eſt aulæ Naturæ potentis,
Sed Domini mores Cæſarianus habet.

Hinc amor in ſeruos, quodam qui paucis ante mortem diebus centum minarum donatione ſingulis non rogata luculenter apparuit: qui fidei ſuæ fructum vberiorem percepiſſent, ſi vita Domino diuturnior contigiſſet. Iam omnes regni ordines quanti fecerit, manifeſtum. Ille Senatum Conſilio, grauitate, fide, nobilitate præſtantem vt mentem publicam habuit. Ille Nobiles florem generoſorũ, generoſos florem populi, vtroſque trium ſub Rege maximo potentiſſimarum capita gentium eximiè dilexit. Ille Clerum Dei ſocialem, Regni ſalem, officio humilem, ſubſidio vtilem, ſumma gratia complexus eſt. Ille Academias nutrices Cleri, cunas Doctorum, fontes doctrinarum, doctrinaſ-

que ipſas pietatis virtutiſque cultrices optimas fouit, & ornauit. Ille hoſpitia Curiæ, vt vocantur, aulæ ſeminaria, Nobilitatis incunabula iuris ſacraria, iuſque ipſum regij firmamentum imperij maximum ſingulari amore ſuo beneuolentiaque decorauit. Ille Milites Conſilij, religionis, literarum, iuris defenſores atque ſatellites maxime neceſſarios dubijs in rebus excitandos putauit. Bello ſe parauit, vt in pace viueremus. Ex quibus omnibus intelligi poteſt principem propter excellentiam paucos vniuerſis, propter ſalutem vniuerſos paucis prætuliſſe. Maiorem honorem habuiſſe Nobilioribus regni partibus, ſed intendiſſe curam populo non minorem. Quatuor enim ſuæ dignitatis firmamenta eſſe ducebat, gratiam Dei, amorem patris, ſtudia Nobilium & generoſorum, ac populi beneuolentiam. Itaque nihil prius habuit aut antiquius, quam vt Deum pietate, patrem obſequio, Nobiles, Generoſoſque humanitate, populum æquitate, publicique commodi cura conciliaret atque retineret. In quo nihil ad famam aut magnitudinem ſuam, ſed ad Dei gloriam, Regiſque honorem omnia retulit. Habetis veram effigiem præſtantiſsimi Principis: Cui ſyncero animo delineandæ totus incubui, partim vt meum ipſius dolorem fallerem; partim, vt veſtrum mœrorem, O boni, ipſe conſolationis egens qua poſſem tamen conſolatione lenirem: partim vt deſideratiſſimi Principis memoriam conſeruarem, & quantum ego conſequi poſſem, inſepultam ſepulturam efficerem

ficerem. Quis enim optimo patri, eam excellentis filij mortem acerbissimam fuisse miretur? qui sibi primam spem generis sui subsidium nominis, columen honoris, vicarium potestatis per sane turbidis in rebus & maturum, & fidelem, & necessarium ereptum esse luget. Luget sereniſſima Regina mater, quæ tribus apud Nos orba liberis graue vulnus, sed in *Henrico* Principe grauissimum sensit. Luget Auunculus Nobiliſſimus *Daniæ* Rex, si audierit sibique tantum Nepotem, non modo sanguine, sed voluntate coniunctissimum, & virtute simillimũ ademptum gemit. Mæret illustrissimus Princeps, & charissimus frater *Carolus* successor virtutis & dignitatis. Mæret lectissima, & dilectissima soror *Elizabetha*, seseque tanto oblectamento, ornamento, adiumento priuatam esse lamentatur. Socius doloris vt amoris accedit illustrissimus & potentissimus Princeps Elector *Fredericus* Comes *Palatinus*: illiusque dignissimus Auunculus fortissimus Heros, Comes *Henricus*: Cæterique Nobiliſsimi *Germani*, *Batauiq*; quidamnis nostris commouentur vt suis, quibus insperantibus tanta virtus apparuit simul & disparuit. Iam seruorum & Domini, funus idem Duci videbatur. O mortem acerbam Senatui, Nobilibus & Generosis omnibus grauem, Clero luctuosam. O mœstas Academias, tristes Iureconsultos, lugubres Milites. Omnes mediusfidius Protestantes in terris, in *Germania*, *Gallia*, *Dania*, *Belgio*, cæterisque exteris Nationibus Christianis principis excessu vere doluisse arbitror

bitror, de quo tantam ſpem conceperant, illo viuo Eccleſiæ Reformatæ ſatellitem nunquam defuturum. Cuius fraternæ gloriæ *Carolum* Principem hæredem fore confidunt. Nam Regem potentiſsimum cauſæ caput, vt in pace regni ſtabilienda alterum Auguſtum, in religione Eccleſiæ conſtituenda, alterum *Conſtantinum* experti ſunt, ſic in bello etiam Eccleſiæ gerendo alterum *Cæſarem* fore non dubitant; cum id ſtatus Eccleſiæ poſtularit. Intereà Regem pacificum de tanta deamant ſolicitudine, quòd liberos ad commune Eccleſiæ bonum, tam excellenter educandos, tollendoſque curarit. Ne Papiſtas quidem ingenuos, patriæque amantes dubito Principis morte doluiſſe: Cæteros autem illos virulento Ieſuitico ſpiritu inflatos, qui omnem ex animis expectorarunt patriæ charitatem, arbitror eò mærere iactantius quo lætantur interius. Gaudent & mærent Papæ arbitrio, non ſuo: quem quis dubitet filij morte lætari, qui patris vita doleat?

Nec dum etenim Cauſa irarum ſæuique dolores
Excideràt animo, manet alta mente repoſtum,
Iudicium patris, Spretaque iniuria Romæ.

Sunt qui Principem veneno ſublatum ſuſpicantur, ſed illi forſitan, benevolentia atque amore falluntur. Nam, vt Medici dicunt, febres maligna Principem iuuenem vbi ſemel corripuiſſet, intra quatuordecem dies ventriculis cerebri ſuffocatis, heu, confecit atque conſumpſit. Deus bone

bone flos regni quàm citò exaruit & emarcuit? gemma orbis nostri quam subito fracta dissiluit? O Principum æternis lachrimis monumentisque decorandum? In quo cum fragilem humanæ vitæ conditionem, tum fallaces aulæ spes, inanes quorundam cogitationes, & vana consilia contemplari licet, quæ tot his vnâ potuit omnia repentè peruertere. Quod si febris viridem tam cito absumpsit, aridos quanto citius abrumpet? Et si conglutinatio recens tam facile dissecta est: inueterata quanto facilius dissoluetur? O miseram hominum vitam: sed nullorū miseriorē. Quorum aliqui quantumuis integerrimi nullum ex suorum Principum gratia fructū ferunt: potentiorum vel calumnijs deformati, vel iniurijs oppressi: aut si ferunt, tamen gratia plerunque excidunt, fato potentiæ ratio, sempiternæ: aut si non excidunt propter Principum suorum constantiam, at propter fragilitatem principes ipsos potentiæ suæ Authores, nec opinantes amittunt, vt in hoc grauissimo casu accidit, quo fit interdū, vt eo periculosius cadūt, quo altius surrexerunt. Quę quidē omnes homines, præsertim aulicos, ad maiorem animi moderationem erudire debent, vt sua potentia temperantius vti condiscant, quam tot casibus obnoxiam esse perspiciunt. Quod si qui forte sint, qui quāti pretij gemma fuerit quam amisimus, fruendo discerendo a possent, Certè quidem carendo discent: & si quorum breuior, leniorque dolor extiterit, precor, ne diutius illi grauiusque dolendi causam postmodum habeant, quam Deus pro

infinita & priſtina bonitate, & miſericordia à noſtris ceruicibus auertat. Eſt ille quidem beatiſſimus, qui deceſſit, nos infœliciſſimi, quos reliquit, qui ne digni quidem illo fuimus, quem noſtris peccatis amiſimus, vt Reuerendiſſimus Archiepiſcopus *Cantuarienſis*, cum Principem animam agentem ſuis apud Deum feruentiſſimis precibus adiuuaret, ingratitudinem noſtram piis lachrimis & lugubri voce deplorans veriſſimè aſſeueranit. Ille, inquam, beatiſſimus, quem cum iam ad lubricam ætatem peruenisſet, cui multa blandimenta natura genuit, plura fortuna profudit, quibus ſopita virtus conniuere potuiſſet, cumque iam non ad vitia, ſed ad vitiorum marginē proceſſiſſet, vt illa videret potius quam attingeret, tum Deus quaſi manu prehendens opportunè ad ſeipſum reuocauit, omnique corruptione, contagioneque mortali exſolutum in cœleſti ſecum Paradiſo collocauit, vt præclariſſimo Principi non ereptam à Deo vitam, ſed mortem donatam putem. Non videt amplius factiones partium, non diſſidia Nationum, non diſcordias eccleſiarum, non contentiones Theologorum, non lites rixaſque Laicorum, non rapinas iureconſultorum, non fraudes Mercatorum, non auaritiam iudicum, non ſuperbiam aulicorum, non libidinem iuuenum, non impudicitiam fœminarum, non deniq; in omni genere deformatam eam Eccleſiam, quam ſana fide, puro cultu, bonis legibus inſtitutā eſſe didiciſſet. Ego te igitur, O Princeps, cum vitæ flore, tum mortis opportunitate, diuino conſilio natum

tum & mortuum esse arbitror. Postquam Nobilissimi dum vixit, nunc vero etiam sanctissimi Principis exequijs ac funeri, quæ debuimus iusta persoluimus: nos ipsos inuicem consolemur primum eos, qui damno mærent publico, deinde eos, qui priuato etiam & proprio afflictantur: ac vtinam Deus eam mihi facultatem daret, qua communem lenire ac leuare mœstitiam valerem, si minus sanare quem & abstergere. Principio, quoniam tantum lumen extinctum est, fato suo fœliciore quam publico, age vero, quia homines sumus, demus aliquid imbecillitati nostræ, communique damno detrimentoque, si est ita necesse, doleamus: verum quia Christiani sumus, demus aliquid pœnitentiæ, qua nostra delicta, peccataque quibus hoc nobis tantum damnum accersiuimus, ferio lugeamus: sed nec sine modo, nec sine spe: quin potius nunc tandem à dolore referamus animos ad firmitudinem? Demus id fidei nostræ, demus communi incolumitati. Quid enim? nondum Religio nostra nos docuit, quidcunque mali nobis accidat, Dei iustissimi, ac benenolentissimi patris prouidentia euenire? Nondum fides nostra persuasit nobis, aliam esse vitam hac terrena longè meliorẽ ac beatiorẽ? nimis igitur querulus & pertinax est dolor, qui manifestæ Dei voluntati reluctari non desinit: nimisque, si rectè volumus iudicare, certe maleuolus, quo deflemus immodice mortem eam, quam beata immortalitas sine dubio consequuta est. Modum igitur teneamus: ne declaratæ Dei voluntati

 repugnasse

repugnasse, & certæ Principis fœlicitati inuidisse videamur. Quod si dolor noster, vt est acutus & disertus, contra disseruerit, parumper attendat Dominum nos intus ita breuiter increpantē. Ego vos Quinto Nouembris à crudelissima coniuratione, atque imminenti interitu liberaui. Vos tantæ liberationis beneficio ingrata oblivione sepulto ac deleto in omni iniquitatis genere perrexistis. Sexto igitur Nouembris Principem spem vestram, in quo numium certe confisi estis, vobis adempsi: volque in illo grauissime, sed iustissime castigandos putaui, cuius mortem si immoderate lugere potius, quam viram vestram emendare malitis, cauete, ne longe maiorem grauioremq; vobis plagam immittam. Hæc Deus nobis intus omnibus suggerit: apud quem quia piorum manibus locus est, nec vna cum corporibus extinguuntur atque intereunt sanctæ animæ, sed in cœlos actutum deferuntur, hoc nos illa certe cœlestis anima facere non vult, nolque ita quodammodo compellat. Charissimi, si id doletis, quod me iam frui vobis non licet, vestrum est id malum, quod modice ferendum, ne non tam me, quam vos ipsos amare videamini: sin tanquam mihi mali aliquid acciderit, mærcatis, beatitudinem mihi concessam à Deo non satis grato animo interpretamini. Nam cum Deus vobis regem conseruarit, videte ne non modo in rege ingrati, sed in Deum impij reperiamini, qui vobis de multo meliore solatio præsidioque prouidit. Hæc Princeps moderando dolori nostro quasi de cœlo nobis dicere videtur. Quid quod communis salus id

postu-

poſtulet? vt cũ principem quemque mortalem ſciamus, ſtirpem vero Principis beneficio diuino, & conſilio humano quodammodo immortalem facere poſſimus: quin lamentis temperamus, & id agimus, vt Regiæ ſtirpi cuſtodiendæ acriter inuigilemus, & propagandæ maturrime ſtudeamus: neq; ideirco deſpondeamus animos, quod tantũ columen euerſum eſt, quin potius cum regem caput Imperij, fontem conſilij, arcem potentiæ, & principem ingenio, animo, corpore valentem retineamus: in illo manutem, in hoc creſcentem virtute omni honore ac benevolentia proſequamur: ne ſpectatæ Regis optimi prudentiæ, curæque diffidere & expectatæ Principis ſperatæque præſtantiæ præiudicare videamur. Nunc cum publicæ mæſtitiæ medicinam adhibuerimus, priuatæ quantum poſſumus medeamur, ſolemurque afflictiſſimos animos proximorum, quibus eſt illa quidem breuis & efficax conſolatio. Parentibus quod tam excellentem filium genuerunt: fratri & ſorori, quod in ſe vt fraterni corporis, ſic virtutis imaginem, ac ſimilitudinem referant: Præceptoribus, quod tam nobilem Diſcipulum erudierunt: Amicis, quod vnà cum ſecretis tanti amici formam & vultus, & mentis æternam mentibus impreſſam gerant. Conſiliarijs, qui tam ingenioſo Principi fidele conſilium dederũt: Seruis, quibus quod honos domini viui fidei ſuæ præmiũ promiſſum tulit, id multo magis defuncti ſanctitas obtinebit. Præſertim ab ijs quibus ætate prouectis non ita multo poſt, neceſſe fuerit in illam æternam domum diſcedere, quam cœ-

leſtem foelicitatem illis optamus quidem, ſed tardam atq; ſeram: in qua Principem iterum noſcent, quem amauerunt. Interea quicquid ex *Henrico* amauimus, quicquid mirati ſumus, manet nobiſcum in animis, in æternitate temporis, fama dulciſſimi nominis: vt Nobiliſſimarum ſemper extet in Memoria viuorũ quouis ære perennior ara virtutum. Sic cum multos inglorios & ignotos paucorũ annorũ obliuio obruerit, *Henricus* Princeps à nobis poſteris narratus, noſtriſq; animis infixus abſens aderit, mortuus ſuperſtes erit. Plura ne dicam, impediunt lachrimæ; nunc me veteam ad Deũ, qui ſque veſtro omnium nomine pro ſalute Eccleſiæ & Imperij humillime ſupplicabo.

O Deus, O qui res hominumque Deumque guberna,
Summaq; indicio vertis & ima tuo:
Qui regis ſurgentemque foues, ramumque recidis
Haredem regni das adimiſque pium:
In quorum damno lugis rex, gregeque dolentes
Senſerunt in a ſpicula dira tua:
Parce parens, iram ſeda, tua tela reconde,
Et finem lantis, O bonus, adde malis.
Perge tuam legem, regemque, gregemque tueri,
Patronamque gregis, perge fouere domus.
Ne foras è noſtris crudelia gaudia damnis
Hoſtis acerba tuis, dedecoroſa tibi,
Victima ſit noſtris cedet tibi plurima Templis
Ara Corda tuis ſemper honoris erunt.

FINIS.

C-PV
62940-54
SL
(C time only)

REPRODUCED FROM THE COPY IN THE

HENRY E. HUNTINGTON LIBRARY

FOR REFERENCE ONLY. NOT FOR REPRODUCTION